

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1258

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

418. *Pabst Alexander IV bestätigt der Stadt Straßburg die ihr von Kaisern und Königen sowie von seinem Vorgänger Pabst Innocenz IV ertheilten Privilegien. 1258 Januar 21 Viterbo.*

Alexander episcopus servus servorum dei dilectis filiis consulibus et universitati
 5 Argentinensi salutem et apostolicam benedictionem. justis petentium desideriis
 dignum est nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non
 discordant, effectu prosequente complere. sane petitio vestra nobis exhibita continebat,
 quod olim nonnulli reges et imperatores Romanorum tunc sedis apostolice gratiam
 obtinentes vos et terram vestram quarundam libertatum et immunitatum privilegiis
 10 munierunt idque felicitis recordationis Innocentius papa predecessor noster postmodum
 per suas litteras approbans tenorem privilegiorum ipsorum eisdem litteris fecit inseri
 ad cautelam¹. nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis provide
 factum est, ratum habentes et gratum illud auctoritate apostolica confirmamus et
 presentis scripti patrocinio communimus. nulli ergo omnino hominum liceat hanc
 15 paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis
 autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum
 Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Viterbii 12 kalendas
 februarii, pontificatus nostri anno quarto.

20 *S aus Straßb. St. A. AA art. 1 nr. 15 or. mb. c. bulla pend. delapsa. Auf dem Umschlag
 rechts unten G. Mutin. wohl von gleicher Hand, auf der Rückseite Paulus Nepos scori.
 Gedruckt darnach bei Wencker Disqu. de ussburg. p. 11 = Länig XIV, 1, 728 nr. 6. —
 Potthast Reg. pontif. nr. 17159.*

419. *Pabst Alexander IV gestattet dem St. Stephanskloster zu Straßburg, bei
 Receptionen und Provisionen nur die päpstlichen Schreiben, welche die vorliegende
 25 Indulgenz ausdrücklich erwähnen, berücksichtigen zu dürfen. 1258 Januar 25 Viterbo.*

Alexander episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus . . abbatisse
 et conventui monasterii sancti Stephani Argentinensis ordinis sancti Augustini
 salutem et apostolicam benedictionem. paci et tranquillitati vestre paterna volentes
 in posterum sollicitudine precavere auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad
 30 receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus seu beneficiis ecclesiasticis per
 litteras sedis apostolice vel legatorum ejus compelli de cetero non possitis nec de
 hiis aliquis valeat vobis invitis alicui providere, nisi eedem littere apostolice plenam
 et expressam de presentibus fecerint mentionem. nulli ergo omnino hominum liceat
 hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis
 35 autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum
 Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Viterbii 8 kalendas
 februarii, pontificatus nostri anno quarto.

*B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 2622 or. mb. c. bulla pend. Auf dem Umschlag rechts unten
 G. Mutin. wohl von gleicher Hand, auf der Rückseite sehr undeutlich Paulus.*

¹ Cfr. nr. 316.

420. *Pabst Alexander IV befiehlt dem Bischof von Straßburg, daß er sowie der Clerus seiner Diocese von der ungerechten Bedrückung der Straßburger Dominikaner abstehe und dieselben mit Wohlwollen behandle. 1258 Februar 21 Viterbo.*

Alexander episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Argentinensi salutem et apostolicam benedictionem. nulla dubietas imminet Christi 5
fidelibus, quin dilecti filii fratres ordinis predicatorum pro innocentis sue vite ac religionis sacre meritis occurrant gratissimi divine oculis majestatis, maxime cum ipsi studeant sub extrema paupertate vivere ac virtutum cultui desudare ipsorumque ferventer ad hoc aspiret affectio, ut per eorum ministerium salus proveniat animarum. sed tu, prout mirantes accepimus, licet credere vix possimus, hanc de dilectis 10
filiis . . priore ac fratribus ejusdem ordinis Argentinensibus considerationem habere et merita eorum advertere predicta non curans, pretextu quarundam litterarum nostrarum, quas eis ad tuam et cleri Argentinensis instantiam dicimur direxisse, per te ac prelatos et clericos tibi subditos pium et humilem statum ipsorum ac sancte contemplationis otium, cui vacant, assidue multipliciter impedis et perturbas. 15
nonnulli quoque prelatorum ipsorum, sicut dicitur, de tua conniventia et assensu prohibent suis vicariis, ne fratres ipsos ad proponendum dei verbum in ecclesiis eorum admittant, sed penitus se opponant, ne iidem fratres confessiones audiant recurrentium ad eosdem. et, quod est gravius, pretextu questuarius, quos pro colligendis elemosinis ad opus fabricarum ecclesiarum ipsarum hinc inde trans- 20
mittunt, fratres ipsos, ne mendicando victum sibi possint acquirere, presumunt nequiter impedire. qui dictis questuariis contra prohibitionem sedis apostolice destinatis et errores aliquos predicantibus manifestos cedere compelluntur, eisdem prelatis et clericis malitiose dicentibus, pretextu elemosinarum, quas iidem fratres per hujusmodi mendicitatem acquirunt, predictarum ecclesiarum fabricas impediri. 25
nec hiis dicti prelati contenti in subditos suos, si ecclesiam dictorum fratrum etiam, postquam missarum sollempnia in propriis ecclesiis audiverint, adire presumant, excommunicationis ferre sententiam non verentur, supradictos priorem et fratres, quod sint litterarum apostolice sedis falsarii, nequiter diffamando ac irrogando eis per se et alios gravamina plurima in proprie salutis dispendium et dictorum fratrum 30
ac sui ordinis non modicum detrimentum. quia vero pro parte ipsorum ad presidium sedis apostolice super hoc habitus est recursus, nos hujusmodi gravamina eorundem, sicut nec debemus, pati nolentes fraternitatem tuam attente rogandam duximus et monendam per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus provide considerans, quod honori tuo deperit et saluti, si eosdem prelatos et clericos, cum possis, ab 35
illorum molestiis non compescas, ipsos, ut ab hiis desistant, juxta officii tui debitum compellere non omittens tu ipse dictos priorem et fratres affectu benivolo pro divina et nostra reverentia prosequaris et alias ipsos taliter in suis necessitatibus habeas commendatos, quod exinde tibi gratie divine premium et favoris nostri proveniat incrementum nullaque nobis^a incumbat necessitas super 40

a) *T* vobis.

hoc aliter providendi. datum Viterbii 9 kalendas martii, pontificatus nostri anno quarto.

T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. c. bulla pend.¹ Auf dem Umschlag rechts unten wohl von gleicher Hand Aba. s.

5 421. Meister und Rath der Stadt Straßburg beurkunden den Verkauf eines städtischen Grundstücks vor dem Steinthor an die Bürger Konrad von Schiltigheim und Bero. 1258 Februar.

Gozelinus magister burgensium, consules et universitas civium Argentinensium notum facimus omnibus presens scriptum inspecturis, nos angulum unum ante
10 portam lapideam² situm civitati inutilem in usus civitatis vendidimus pro marca una concivibus nostris Cānrado de Sciltencheim et Beroni libere et proprie perpetuo possidendam, nos et successores nostros hujus venditionis warandos constituentes ita, si aliquis super emptione vel possessione ejusdem loci predictos concives nostros inpetere aut vexare presumpserit, quod consules, qui tunc pro tempore fuerint, et
15 civitas ab eadem inpeticione ipsos absolvet. ne igitur hoc factum alicui vertatur in dubium, presens exinde pagina est confecta et sigillo civitatis in testimonium communita. acta sunt hec anno domini 1258, mense februario, presentibus hiis testibus: videlicet Burcardo Dispensatore seniore, Heinrico de Wolfgangesheim, Johanne de Buetenheim, Burcardo filio Hugonis Riplini, Reimboldo filio Nicolai,
20 Johanne Nigro, Reimboldo Virnecorn juniore, Cānrado magistro coquine, Heinrico de Ache, Brunone, Johanne filio domini Erbonis, Dieterico quondam judice, Johanne filio Rudolphi Lenzelini consulibus et aliis^a quam pluribus³.

T aus Straßb. Thom. A. docum. hist. lad. 24 or. mb. c. sig. pend. delapso.

a) *T alii.*

25 ¹ Ebenda befindet sich ein nahezu gleichlautendes Schreiben Alexanders IV von demselben Datum an den gesammten Clerus der Stadt und Diocese Straßburg, or. mb. c. bulla pend. mit gleichem Randvermerk wie nr. 420.

² Vergl. Straßb. Gassen- und Häusernamen i. Mittelalter S. 119.

30 ³ Das Raths- u. Bürgerbuch fol. 11^b im Straßb. St. A. verzeichnet aus einer Urkunde des Februars 1258 außer den hier und in nr. 422 genannten noch folgende Rathsmitglieder: Sifrit von Vegersheim, Johans von Schöneck, Erbe von Tegervelt, Hartmüt von Schiltigheim, Claus von Kageneck, Claus Reimböldelins brüder, außerdem als Zeugen: Behtolt Rüseck und von den amptläten Walther der küffer meister, Heinrich der smyde meister, Johans des bischofes sūn, Diebolt. Unter den Rāthen fehlen hier von den Obigen die beiden zuletzt genannten.

422. Meister und Rath der Stadt Straßburg beurkunden, daß sie den Bürgern Johannes ehemals Zöllner und Gottfrid Cornere den beim St. Arbogastskloster gelegenen Brückenhof und einen Acker im Bann von Sulz verkauft haben gegen die Verpflichtung, die St. Arbogastsbrücke zu unterhalten. 1258 März.

Heinricus de Wolfgangesheim et Gozelinus filiaster Vitule magistri civium, 5
 consules et universitas civium Argentinensium notum facimus omnibus presens
 scriptum inspecturis, concives nostros Johannem quondam thelonearium et Gode-
 fridum dictum Cornere se ad hoc obligasse, quod ipsi et heredes ac posteri sui,
 qui curiam pontis, que dicitur Bruckehof, apud cenobium^a sancti Arbogasti sitam
 et agrum unum in banno Sultze situm in possessione sua habuerint, pontem sancti 10
 Arbogasti¹ construere perpetuo debent et reedificare, quandocumque necesse fuerit,
 sumptibus propriis et expensis sine dampno civitatis ita, si propter defectum edificii
 in eodem ponte aliquis dampna sustinebit, quod possessores antedecte curie et agri
 predicti illa dampna persolvent, quia nos de consensu civitatis predictam curiam
 pontis et agrum prefatum sub tali conditione ipsis vendidimus et donavimus 15
 perpetuo possidendum. in cujus rei memoriam et firmitatem atque probationem
 presens exinde pagina est conscripta et sigillo civitatis nostre in testimonium
 communita. acta sunt hec publice anno domini 1258, mense martio, presentibus
 hiis testibus: videlicet Burcardo Dispensatore seniore, Reimbardo filio Nicolai,
 Burcardo filio Hugonis Riplini, Johanne de Buetenheim, Ulrico Scottone, Rulino 20
 Riplino, Reimbardo Virnecorn juniore, Johanne filio domni Erbonis, Brunone,
 Dieterico quondam iudice, Cånrado magistro coquine, Heinrico de Ache consulibus;
 Hecelone de Ekevirdesheim, Erbone filio iudicis, Rudolfo de Vegersheim, Reim-
 boldo dicto Liebencellere, Erbone filio Nicolai, Friderico inter mercatores, Hugone
 Riplino, Reimbardo Stiubenwec, Cånrado quondam iudice, Reimboldelino, Burcardo 25
 et Friderico Dispensatoribus, Nicolao dicto Zorn, Cånone dicto Sånere, Ottone
 Riplino et aliis quam pluribus.

S aus Straßb. St. A. Vord. Dreizehn. Gew. Corp. A lad. 50 or. mb. c. sig. pend.

423. Pabst Alexander IV trägt dem Bischof von Straßburg auf, den Bürgern Straßburgs für ihre Verwüstung des Klosters Selz Absolution zu ertheilen. 1258 30
 April 5 Viterbo.

Alexander episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . . episcopo Argentinensi salutem et apostolicam benedictionem. significarunt nobis dilecti filii . . . abbas et conventus monasterii Selsensis ordinis sancti Benedicti tue diocesis, quod, cum olim quidam inimici universitatis Argentinensis se in eorum monasterium 35

a) S cenobium.

¹ Vergl. Silbermann Localgesch. d. Stadt Straßb. S. 214.

receptassent^a et offendissent homines universitatis ejusdem¹, tandem^b ipsa universitas hujusmodi occasione commota expellendo exinde^c inimicos eosdem^d monasterium ipsum ignis incendio fere totaliter destruxerunt alias ipsi monasterio dampna non modica irrogantes. quare nobis fuit ex parte dictorum abbatis et conventus
 5 humiliter supplicatum, ut, cum ab universitate predicta sit eis competenter de dampnis hujusmodi satisfactum, providere super absolutione hominum universitatis ejusdem misericorditer curaremus. cum itaque difficile videatur pro absolutione hujusmodi obtinenda tantam multitudinem ad sedem apostolicam destinari, nos de
 10 apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, dicte universitatis hominibus auctoritate nostra juxta formam ecclesie hac vice beneficium absolutionis impendas, injuncto^e eis nichilominus, quod de jure fuerit injungendum. datum Viterbii nonas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

15 *S aus Straßb. St. A. Vord. Dreizehn. Gew. Corp. A lad. 3^a or. mb. c. bulla pend. Auf dem Umschlag rechts unten von gleicher Hand B fu', auf der Rückseite, wie es scheint, von andrer Hand Selse und von zwei Kreuzen eingefalbt audi nos audi nos.*

S1 coll. ibid. Vidim. mb. c. sig. pend. ausgestellt von Bischof Heinrich von Straßburg, 1258 Juni 8 (festo sancti Medardi).

20 *Gedruckt nach S1 bei Wencker Appar. et instr. archiv. p. 177 nr. 18 = Lünig XVIII, 778 nr. 2 = Laguille pr. p. 45. — Potthast Reg. pontif. nr. 17224.*

424. *In einer Verhandlung über die Vogtei des Klosters Altorf unter den Besitzern: Eberardo de Sulze archidiacono², Alberto de Dalmasingen, Walrammo de Gerolsecke canonicis Argentinensibus, domino Werinhero Stamphone, Sifrido camerario Surburgensi et Henrico de Pfetensheim capellanis episcopi. anno domini
 25 1258, mense aprili, in dominica qua cantabatur Jubilate, apud Altorf. 1258 April 14 Altorf.*

Aus Schöpflin Als. dipl. I, 423 nr. 576 ohne Quellenangabe.

a) S1 recepissent. b) S1 om. c) S expellendo auf Rasur. d) S os eosdem auf Rasur. e) S injuncto.

¹ Wohl bei der Belagerung des Markgrafen von Baden zu Selz durch die Rheinischen Bundesstädte im Mai 1257. Vergl. A. Busson Z. Gesch. d. großen Landfriedensbundes deutscher Städte S. 85.

² Demselben Eberhardo de Sulze archidiacono in ecclesia Argentinensi befiehlt Pabst Alexander IV, daß er den Bischof von Constanz zwingt, das von ihm widerrechtlich zu Handen genommene Eigenthum des Klosters Reichenau dem Abt von St. Gallen zu übergeben, 1258 Mai 5 Viterbo. Vergl. Wartmann Urk.-B. d. Abtei St. Gallen III, 145 nr. 941. — Potthast Reg. pontif. nr. 17258. Im gleichen Jahre
 35 erscheint unter den Straßburger Domcanonikern noch Uolricus filius quondam Hanrici militis de Luphen in einer Schenkungsurkunde für die Nonnen zu Kenhausen. Cfr. Neugart Cod. dipl. Alem. II, 229 nr. 970. — Stälin Würtemb. Gesch. II, 740.

425. *Bischof Heinrich von Straßburg und sein Official Nicolaus, Probst von St. Thomas, beurkunden einen Vergleich zwischen der Wittve und den Kindern Burchard Bone's, eines Straßburger Bürgers, einer- und dem St. Katherinenkloster zu Straßburg andrerseits über Burchards Hinterlassenschaft. 1258 April 17.*

Heinricus dei gratia episcopus Argentinensis, N[icolaus] prepositus sancti Thome 5
 ejusdem domini venerabilis officialis. sciant cuncti, quod, cum Burchardus dictus
 Faba civis Argentinensis bone memorie quondam omnia sua mobilia et immobilia,
 jura etiam et quecunque habebat tunc habiturusque fuisset in posterum quocunque
 titulo, donasset et contulisset priorisse et conventui sancte Katerine extra muros
 Argentinenses nunc ordinis fratrum predicatorum, retento sibi usufructu eorundem, 10
 de consensu sue uxoris tunc Gute pie memorie¹, tandem, dicta Guta defuncta, cum
 Hiltrude contraxit matrimonium. que cum duos pueros genuisset, ipse super certa
 pensione danda post mortem ejus ipsis pueris ac possessionibus seu redditibus ipsi
 mulieri a dicto monasterio ordinavit et convenit cum dicta priorissa et conventu.
 mortuo itaque dicto Burchardo, cum orta fuisset dissensio inter dictam suam relic- 15
 tam et pueros ejusdem ex una parte et predictam priorissam et conventum ex
 altera, mediantibus personis honestis ac pacificis ad nostram etiam monitionem
 concordaverunt in hunc modum: quod relicta predicti Burchardi de bonis ac posses-
 sionibus ejusdem recipiet et habebit possessiones reddentes annuatim duodecim
 quartalia annone in Osthoven nostre diocesis et possessiones, quas monasterium 20
 ibidem habebat predictum, reddentes annis singulis octo quartalia annone cum usu-
 fructu, possessione et proprietate plena preter redditus decem quartalia, que dicta
 relicta antea habebat in dicto banno, quos redditus retinebit cum possessionibus
 antedictis. item usumfructum domus, quam dictus Burchardus inhabitabat, dicta
 relicta habebit, quoad vixerit, cum annona, quam reliquit idem *Burchardus*, et omni 25
 subpellectili domus et viginti unam libram Argentinensem habebit etiam et recipiet
 de bonis Burchardi prefati cum curia Vüllonis. prefata etiam priorissa et conventus
 de omnibus debitis, in quibus dictus *Burchardus* fuerat obligatus, nichilominus
 satisfacere tenentur sine omni dampno prefate relicte et ejusdem puerorum. junior
 autem puerorum unum mansum cum proprietate et usufructu habebit de possessio- 30
 nibus antefati *Burchardi* in Crigesheim; senior autem filia secundum patris dispo-
 sitionem in dicto monasterio permanebit recepta. alia vero omnia bona quondam
 ipsius Burchardi sive relicta ab eodem, actiones, nomina et jura, possessiones,
 mobilia et immobilia habebit supradictum monasterium et retinebit ad cautelam,
 dicta matre pro se et suis pueris cedente omnia suprascripta et transferente dona- 35
 tionis titulo in monasterium antedictum. promisit insuper dicta mater se procura-
 turam et curaturam, quod dicti sui pueri hujusmodi ordinationem et compositionem
 ratam habebunt nec aliquo tempore in aliquo facient vel venient contra eandem,
 renuntians Vellegiani² auxilio, cujus beneficium sibi fuit expositum, et juri cuilibet,

¹ Cfr. nr. 291.

² *Das Vorrecht der Gattin auf die Hinterlassenschaft des Mannes betreffend. Cfr. L. I Dig. XVI, 1 in Corp. jur. civilis ed. Krüger et Mommsen I, 205—208.*

quo juvari posset contra hujusmodi ordinationem et obligationem, obligans ad eadem etiam suos heredes. promisit insuper priorissa et conventus dicti monasterii, presente et consentiente fratre Helewigo priore fratrum predicatorum, quod hujusmodi ordinationem ratam habentes et compositionem contra predictam non facient nec
 5 venient, renuntiantes beneficio restitutionis in integrum et omni juris auxillio communis vel specialis, quo juvari possent contra hujusmodi compositionem. renuntiaverunt insuper dicta priorissa et conventus omni actioni et juri sibi competentibus contra dictam relictam et ejus pueros pro bonis et rebus Burchardi memorati, dicta etiam muliere pro se et suis pueris renuntiante omni actioni et juri super bonis,
 10 possessionibus seu rebus ac juribus relictis a Burchardo antenominato. ego Hiltrudis predicta confiteor omnia suprascripta facta fore et acta per me et cum meo pleno et libero consensu et per stipulationem promitto, me omnia et singula supranotata facturam et procuraturam, renuntians omni juri pro bonis dicti mei quondam mariti et actionibus pro me et meis pueris nobis competentibus et competituris. et peto
 15 hanc suprascriptam ordinationem et compositionem sigillis suprascriptorum dominorum communiri, quibus uti volo pro me et meis liberis, cum nullum habeamus sigillum. nos priorissa et conventus monasterii sancte Katerine in horum perpetuam memoriam et probationem presentibus appendi fecimus nostrum sigillum et sigillum prioris supradicti. nos *Heinricus* dei gratia episcopus Argentinensis et ego officialis
 20 omnia sic acta, ut suprascriptum est, testificantes ad petitionem supradicte relicte ac etiam dicte priorisse et conventus presentibus appendi fecimus nostra sigilla. actum anno domini 1258, 15 kalendas mai.

H aus Straßb. Hosp. A. lad. 139 fasc. 6 or. mb. c. 4 sig. pend.

426. *Das Kloster der Franciskanerinnen zu Straßburg verpflichtet sich zur*
 25 *Unterhaltung der Brücke am Hohensteg. 1258 Juli 6.*

A . . . abbatissa et conventus sancti Francisci in Argentina ordinis sancti Damiani notum facimus universis, quod nos deliberatione prehabita et communi tractatu pontem prope Hohenstegen contiguum aree fratrum, si vetustate consumptus fuerit vel alias quocumque modo devastatus, in reconpensionem vie, que ab eodem
 30 ponte usque ad portam, que dicitur Rinpurgetor, fratribus minoribus a magistro, consulibus et communitati Argentinensi tradita fuit cum plena proprietate, sicut in litteris civium super hoc confectis plenius continetur¹, nostris expensis promittimus perpetuo reficiendum et ad hoc faciendum nos et nostrum monasterium tenere presentium obligamus. datum anno domini 1258, in octava apostolorum Petri
 35 et Pauli.

S aus Straßb. St. A. Vord. Dreizehn. Gew. Corp. A lad. 48 or. mb. c. sig. pend. Gut erhaltne Siegel mit der Legende: S. abbatisse s. Francisci in Argentina.

¹ *Cfr. nr. 411 u. 428.*

427. Konrad Dekan von Haslach ladet auf Grund eines Mandats von Bischof Heinrich von Straßburg den Rath von Straßburg zur Verantwortung wegen einer Klage Erbo's des Sängers von St. Thomas. 1258 Juli 10.

Conradus decanus Haselacensis iudex a venerabili patre nostro Argentinensi episcopo subdelegatus viris honorabilibus et discretis magistro et consulibus Argentinensibus salutem et sinceram in domino karitatem. noveritis nos mandatum domni nostri episcopi Argentinensis in hec verba recepisse :

H[einricus] dei gracia Argentinensis episcopus dilecto sibi decano Haselacensi salutem in domino. Erbo cantor sancti Thome Argentinensis nomine fratris sui Hugelini annis minoris nobis conquerendo monstravit, quod magister civium et consules Argentinenses predicto Hugoni super feodis et rebus aliis solvendis injuriantur eidem. cum igitur de tua discretione habeamus fiduciam plenioram, tibi mandamus per presentes, quatenus in eodem negotio ratione previa procedas et negocium predictum fine debito merita cause diligenter inspecta decidas. datum anno domini 1258, in die sanctorum Kilyani et sociorum ejus.

1258
Juli 8

Hujus igitur auctoritate mandati vos in claustrum Haselacense proxima quinta feria post festum Margarete citamus responsuros predicto cantori sancti Thome Argentinensis, prout ordo dictaverit rationis. datum anno domini 1258, in die septem fratrum.

Juli 18

S aus Straßb. St. A. Verschl. Canzlei-Gew. Corp. K lad. 16 or. mb. c. sig. pend. Der Name des Dekans Conradus in der Legende erkennbar. Auf der letzten Zeile des Textes unten rechts R. litteras von gleicher Hand wie das Uebrige.

428. Meister und Rath der Stadt Straßburg bestätigen den Verkauf zweier aneinander stoßender Grundstücke am Hohensteg an die Franciskaner zu Straßburg. 1258 Juli.

Heinricus de Wolfgangisheim magister . . consules et universitas civium Argentinensium scire volumus cunctos fideles, quod, cum nos vendiderimus ad opus fratrum minorum in civitate nostra aream a domo Friderici de Tunzenheim, que sita est juxta portam, que dicitur Rimpurgtor, usque ad vicum prope pontem, qui vulgo dicitur Hohenstegen, ad palum ibidem in longitudine pro signo positum et latitudine usque ad aquam pro quinquaginta marcis, reservata nobis via ad publicum et communem usum civitatis circa latitudinem quindecim pedum in longitudine dicte aree versus aquam¹, nos considerantes majorem utilitatem et necessitatem totius civitatis nostre necnon et commodum fratrum ad petitionem eorundem, prehabita diligenti discussione et deliberatione ac communi tractatu, dictam viam ad aream prenominatam a nobis venditam jure proprio cum proprietate plena et dominio juxta morem ordinis eorum tradimus et tradidimus tenendam et perpetuo possidendam, tali adjecta conditione, quod . . abbatissa et conventus sancti Francisci

¹ Cfr. nr. 411.

ordinis sancti Damiani in nostra civitate pontem in fine aree predictae prope Hohenstegen, quem fratres de novo construxerunt, cum necesse fuerit, reficere perpetuo tenebuntur. ad quod dicte abbatissa et conventus se per suas litteras obligarunt¹. preterea cum Theodericus nuntius communitatis quandam aream, que extenditur a dicta aqua usque ad murum domus supradicti *Friderici* de Tunzenheim, contiguam aree predictae prope portam supranotatam, quam eidem dedimus de communi consensu civium et bona deliberatione cum eodem jure et proprietate sicut ipsis fratribus predictis, vendiderit simpliciter et absolute cum plena proprietate eisdem fratribus ad usum eorum in manus procuratorum suorum pro certa pecunie quantitate, quam venditionem ratam habentes tenore presentium confirmamus nos et successores nostros hujus traditionis warandos constituentes ita, quod si aliquis predictos fratres super traditione et possessione dicte vie et arearum predictarum impetere aut vexare presumpserit, quod nos et consules, qui pro tempore fuerint, ac civitas a vexatione et injuriis absolvent eosdem, renuntiantes etiam omni exceptioni facti et juris ac consuetudinis, que nobis competere possunt vel competunt contra factum nostrum et hoc instrumentum. in cujus rei evidentiam presentibus litteris nostrum fecimus appendi sigillum. acta sunt hec anno domini 1258, mense julio, presentibus testibus subscriptis: videlicet predicto Heinrico de Wolfgangisheim magistro, Gozelino filiastro Vitule, Heinrico vicedomino, Gunthero Rufo burgravio, Murnhardo, Walthero scultheto, Johanne de Buetenheim, Scoto, Johanne filio Erbonis, Reinboldo fratre Liebenzellarii, Reinboldo filio Nycolai, Burkardo Riplino, Rulino Riplino, Burcardo Dispensatore seniore, magistro coquine, filio thelonearii Petro, Johanne Nigro, Nycolao fratre Reinboldelini, Nycolao de Kagenecke, Heinrico de Aquis, Johanne de Sconecke, Theoderico iudice, Erbone de Tegervelt, Sifrido de Vegersheim, Brunone scultheto, Begger, Heinrico de Wizenowe, Hartmudo de Scildekeim, Friderico filio Friderici inter mercatores consulibus; Reinboldo Liebenzeller, Erbone trans Bruscam, Rüdolfo de Vegersheim, Reinboldo Stubwege, Reinboldelino, Hugone Ripelino, Friderico inter mercatores, Erbone filio Nycolai, Bertoldo Ruses, Walthero cufenmeister, Diepoldo et aliis quam pluribus².

³⁰ *T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. c. sig. pend. delapso.*

¹ *Cfr. nr. 426.*

² *Ein im Rath- u. Bürgerbuch fol. 11^b des Straßb. St. A. befindliches, von einer Hand des 16ten Jahrh. eingetragen und angeblich einer Urkunde ebenfalls vom Juli 1258 entnommenes Verzeichniß nennt außer diesen noch, wie es scheint, als Räte: Rülín Lentzlin, Erbe von Kagenecke, Heinrich Dachsen, Erbe Clausen sün, Conrat Bröger, Hans Wiperts sün, außerdem Erbe des richters sün, Burckart genant Spender, Claus genant Zorn. Das Ganze macht jedoch den Eindruck eines willkürlichen Zusammenwerfens von Zeugnissen verschiedener Urkunden.*

429. *Der Official von Speier verschiebt einen den Bürgern Straßburgs in ihrer Streitsache mit dem Kloster Hördt u. A. angesetzten Gerichtstermin. 1258 August 30.*

Sept. 6 . . . Officialis Spirensis iudex a sede apostolica constitutus honorabilibus viris consulibus ceterisque civibus Argentinensibus salutem in domino. quia diversis prepediti negotiis diei vobis prefixo, videlicet feria sexta ante nativitatem beate virginis, super causa, que inter vos et claustrum Herdense et Dithericum de Wachenheim et Rudolfum de Berwarstein prebendarios Spirenses vertitur, ad iudicandum interesse non possumus, eundem diem duximus prorogandum, quousque vobis alium terminum per litteras nostras assignemus. datum anno domini 1258, feria sexta post decollacionem Johannis baptiste. 5 10

S aus Straßb. St. A. Verschl. Canzlei-Gew. Corp. K lad. 17 nr. 93 or. mb. lit. pat. Der untere Pergamentrand, an dem wohl ein Siegel befestigt gewesen, ist abgerissen.

430. *Das St. Thomascapitel zu Straßburg beschließt, nach Abgang seines gegenwärtigen Kellermeisters dessen Amt und Einkommen zu gemeinem Nutz des Capitels einzuziehen. 1258 September.* 15

Universis presentium inspectoribus presentibus et futuris prepositus, decanus totumque capitulum ecclesie sancti Thome Argentinensis noticiam subscriptorum. versuciis hominum prudenter occurritur, si ea, que pro tempore fiunt, scripto perennentur. noverint igitur universi, quod, cum in ecclesia nostra officium cellerarie dudum exstiterit, de quo plura nobis et ecclesie nostre debentur obsequia, contingit multotiens, ut, cum debita exiguntur obsequia et servicia, diverse ex hoc oriuntur discordie et proveniunt ipsi ecclesie inconmoda. volentes igitur utilitati ecclesie nostre prospicere in futurum nos de voluntate et consensu reverendi in Christo patris ac domini nostri episcopi totiusque capituli Argentinensis anno domini 1258, mense septenbri, presenti scripto statuimus et ordinamus ac ad observandum idem statutum fidem prestamus, ut, cum Reinboldus nunc cellerarius cesserit officio cellerarie predicto vel decesserit, idem officium redditusque eidem attinentes cum omni jure et integritate ad communes usus capituli nostri spectabunt habebitque inantea idem capitulum potestatem, retinendi sibi perpetuo proventus ejusdem omniaque provenientia ex eodem. insuper de communi consensu volumus capituli ut omnia officia cellerarie attinentia, utpote sunt officium pincerne, officium dapiferi et si qua sunt similia, communitati nostre ecclesie deinceps debeant attinere et, cum vacaverint, a capitulo conferantur, hoc tamen excepto, quod redditus solius prebendule coquine, quam nunc habet Hugo regelarius, post obitum ipsius regelarii prebendule Cûnradi presbiteri debeant cedere ita, ut idem Cûnradus vel suus successor, quicumque fuerit, missam pro defunctis cum domino Friderico vel suo successore alternatim, cum ipsum ordo tetigerit, serviendo nostro choro debeat celebrare. juramus etiam et fidem prestamus singuli de capitulo, quod in contrarium non veniemus iupetrando litteras super ipso officio a sede apostolica vel aliunde. 20 25 30 35